DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

DIARRHOEA SEROSA

QUAM

ADSPIRANTE NUMINIS DIVINI GRATIA

NSENSU ATQVE AUTORITATE GRATIOSÆ FACULT. MEDICÆ IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE

N. GEORGIO DANIEL COSCHWITZ,

). DOCT. ANATOM. CHIRURG. ET BOTAN. IN ALMA FRI-CIANA PROFESS. PUBL. ORDIN. POTENTISS. BORUSS. REGIS IN MITATU MANSFELDENS. ET APUD PALATINOS HALENS. PHYSICO MERITISSIMO ACAD. IMPER. LEOPOLD. CAROL. NAT. CUR. NEC NON SOCIET. REGIÆ BORUSS. SCIENT. COLLEGA LONGE DIGNISSIMO,

PRO LICENTIA,

SUMMOS IN ARTE SALUTARI HONORES, PRIVILEGIA ET IMMUNITATES LEGITIME CAPESSENDI HORIS LOCOQUE CONSUETIS

Anno M DCC XXIX. D. Maj.

PUBLICO AC PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI

SUBIICIET

JOHANNES FRIEDRICUS Münnich,

BELLEBIA MAGDEB.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis JO. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA
DE

DIARRHOEA SEROSA.

§. I.

DIARRHOEAM eſſe evacuationem catothericam, omnibus ſine dubio erit notum. Ducit vero illa vox quoad nominis ſignificationem ortum ex verbis græcis διὰ, & ῥέω, hinc vocatur Diarrhœa, ſeu alvi profluvium. Et ſicuti variæ dantur evacuationes quotidie in œconomia animali contingentes, quæ quamdiu naturaliter procedunt, naturales, ſi vero naturæ ordinem excedunt, præternaturales vocantur, ita ad harum omnium claſſem præprimis referri meretur Diarrhœa: quæ, licet eandem ſæpius agnoſcat cum vomitu materialem cauſam, ita differt ab illo ratione evacuationis loci, cum ſub hoc, quæ in ventriculo peccantem conſtituunt materiam, per partes ſuperi-

 ores,

ores, ſub illa vero, quæ in inteſtinis ſimul hærent naturæ inimica & noxia, per tractum inteſtinorum vel per inferiora excernuntur & ejiciuntur. Non vero una tantum, ſed plures dantur per inferiora evacuationis ſpecies, quæ ratione materiæ peccantis, ſymptomatum & prognoſeos toto cœlo differunt, quarum recenſioni ſuperſedeo; huic vero præſenti tractationi includo illum tantum affectum, qui medicis audit DIARRHOEA SEROSA, & quoad frequentiam omnibus Practicis eſt notiſſimus. Adſit vero Summum Numen conatibus meis atque laboribus; largiatur vires, ut cedant in ſui nominis ſanctiſſimi gloriam, proximique ſalutem.

§. II.

Quid ſit Diarrhœa ſeroſa, id facile patet ex antecedentibus Ut vero ordine debito præſens procedat inſtitutum, ita, quomodo definiatur hic affectus addere lubet: Eſt vero evacuatio materiæ ſeroſo-mucidæ per inferiora præter naturam fiens, non funeſta ſemper, ſed ſæpius ſalutaris, copioſis dejectionib9 ſeſe manifeſtans: hisque copioſis & ſæpe recurrentibus excretionibus ſeſe diſtinguit ab excretione alvina, quæ naturaliter fieri ſolet; ad quod accedit & illud, quod excrementa, quæ in naturali ſtatu excernuntur, ſint magis conſiſtentia, craſſiuſcula, & colore viridi, quem bilis naturali admixtioni debent, prædita: in diarrhoea vero aliam plane induunt faciem, quoad conſiſtentiam enim magis adparent diluta & minus colorata, ob nimiam ſeri & muci quantitatem illis admixtam.

§. III.

Et quemadmodum unusquiſque facile hunc affectum a naturali ſtatu decedentem dignoſcere poteſt, ita

ita alia eſt notanda differentia, hunc præſentem affectum, aliaque alvi profluvia intercedens. Differt itaque 1. a Diarrhœa biliosa, & quidem tam ratione ſubiectorum, cauſæ materialis & ſymptomatum: ſubjiciuntur bilioſæ diarrhœæ ulplurimum cholerici, & quidem puriores, ratione ætatis infantes, ex mammis nutricum nutrimentum adhuc capientes: ſeroſa vero alia plane invadit ſubiecta, de quibus infra: cauſam materialem quod concernit, hanc conſtituit in illa ſola bilis, in hac ſerum aliquod mucidum, cui non niſi in ſummo gradu aliquoties admiſcetur bilis. Symptomata quoque plane ſunt diverſa, quo graviora enim ſunt illis, qui bilioſa diarrhœa laborant, eo mitiora his, qui ſeroſa, quamvis nullo modo negandum ſit, diu durante & excedente hoc affectu, ſymptomata utique ſupervenire haud ſpernenda. Differt 2 a Lienteria ſeu fluxu cœliaco, & quidem iterum 1. ratione materiæ, quæ exernitur, quippe in hac talis eiicitur materia, quæ ad corporis nutritionem facit, in illa vero materia ſeroſo-mucida, œconomiæ animali inimica: 2. ratione ſalubritatis & noxæ; hæc enim, dum particulæ chyloſæ excernuntur, periculoſa, illa vero de optimo naturæ inſtituto, expellendo materiam noxiam, teſtatur: 3. reſpectu ſubjecti generalis & ſpecialis: generalis; huic enim ſenes utplurimum & infantes, illi vero variæ temperamenti, ætatis & ſexus perſonæ ſubjiciuntur: ſpecialis, cum lienteriæ ſubjectum conſtituat ventriculus cum inteſtinis & vaſis chyliferis; diarrhœæ ſeroſæ vero inteſtinorum tractus cum glandulis adjacentibus: 4. ratione cauſæ proximæ, ſiquidem in lienteria laxitas & lubricitas primarum viarum & vaſorum chyliferorum

obliteratio, in diarrhœa vero ſuburra viſcida mucida peccat.

IV.

Ad excretiones catothericas quoque pertinet Dyſenteria, & fluxus hæmorrhoidalis; ab utroque fluxu differt præſens, de quo ſermo eſt, affectus: a primo ratione materiæ peccantis, quæ excernitur, quippe in hoc ſeſe ſanguis offert, qui vero in diarrhœa non peccat: porro ratione prognoſcos & eventus, ſiquidem dyſenteria ut affectus epidemicus, & contagioſus, graviſſimis ſymptomatibus ſtipatus ſummum minatur periculum, nullum vero diarrhœa ſeroſa, niſi morbis acutis ſuperveniat: ab altero itidem ratione humoris, qui excernitur, ſanguinem enim ſub hæmorrhoidali fluxu excerni, id illis notum, qui ſcholas vix ingreſſi ſunt medicas. Et hi ſunt illi, a quibus noſter affectus differt, morbi. Alia vero notanda eſt differentia, quam nempe inter ſe ipſum patitur: ſic recenſere ſolent Medici in ſcholis ſuis diarrhœam ſimplicem, quam diſtinguunt a critica. Simplicem quod attinet, illa eadem eſt, quæ præſenti ſubjicitur conſiderationi, ſimpliciter ex antecedente aliqua occaſionali cauſa hoc vel illud individuum, de reliquo ſanum, nulloque alio morbo, cui alias criticæ evacuationes eſſe ſolent ſolennes, adfectum, adoriens & afficiens: critica vero iterum eſt vel ſtricte ſic dicta, vel late ſumta: primam illam vocare ſolemus, quæ morbo aliquo acuto die critico ſuperveniens, nulla damna, nullaque pericula ſecum ferens, morbum ſolvit: altera vero, quæ præter concurſum hujus vel illius morbi ſponte venit, certum anni & ſtatum tempus ſervat, & ſine acceſſu ſymptomatum & dolorum tranſit, quæ itidem pro bona & utili eſt habenda:

de

de hoc alvi fluxu optime Celſus *lib. 4. c. 19.* mentionem facit his verbis: *Uno die fluere alvum ſæpe pro valetudine eſt, atque etiam pluribus, ſi febris abſit, & intra ſeptimum diem conquieſcat, purgatur enim corpus, & quod intus læſum erat, utiliter effunditur.* Porro diſtinguitur diarrhœa idiopathica a ſymptomatica, de quibus brevibus notandum, primam eſſe, quæ ſine præſentia alius morbi hoc vel illud individuum indiſcretim aggreditur, alteram vero, quæ ut ſymptoma aliis morbis ſupervenit.

§. V.

Signa hujus Diarrhœæ ſeroſæ quod concernit, illa ſunt facillima: dignoſcitur vero primario & principaliter ex frequentia deſidendi, ab excretione naturali & alias conſueta ſeſe diſtinguens; deinde vero ex ipſa excrementorum conditione & conſiſtentia; ſicuti enim naturales ſedes conſiſtentes & craſſiores apparent, ita e contra dilutæ magis & fluidæ excernuntur ſub diarrhœa ſeroſa. Illud equidem commune habet cum diarrhœa bilioſa, hinc facile cum hac ex una parte confundi poſſet: cum vero illis non ſtipata ſit ſymptomatibus & cruciatibus, niſi dolores colici a cauſis externis, refrigerationibus abdominis, pedum aut potuum frigidorum & fœculentorum accedant, ita ex altera parte dignoſci facile ab illa poteſt: præcipuum vero dignotionis fundamentum latet in conditione & colore excrementorum, cum in illa ad viridem magis, in hac vero ad album potius inclinent excrementa colorem: illa graviſſima ſymptomata conjuncta habeat, cruciatus & inteſtinorum eroſiones, hæc nulla fere, ſed ſine doloribus procedat, niſi ſpecialis ſeri acrimonia concurrat. Signum porro præbet diarrhœæ ſeroſæ modus excernendi, hocque itidem differt a bilioſa; excernuntur

tur enim primo ingeſta, non craſſa ſed diluta, his vero conſumtis materia illa ſeroſo-mucida ex glandulis inteſtinorum proveniens, aquea, nulloque ſpeciali colore tincta, quæ nulla fere incommoda & moleſtias, niſi deſidendi frequentiam, parit. Ex ſubjectis vero hoc affectu præ aliis correptis ſignum aliquod eſt depromendum: ſubjiciuntur enim illi corpora humida & multo ſeroſo humore ſcatentia, præ illis, quæ ſiccioris magis habitus & temperamenti calidioris ſunt: hinc ſanguinei, phlegmatici, phlegmatico-ſanguinei, & phlegmatico-melancholici hujus affectus conſtituunt ſubjecta: hinc ratio petenda, quod infantes præ adultis, ſexus ſequior præ nobiliori illo facillime corripiantur.

§. VI.

Cum vero nullus ſine ſymptomatibus ſupervenientibus contingat morbus, hunc quoque affectum nonnulla ſequuntur ſymptomata: tam artificioſe enim noſtra ſtructa eſt machina, ut variis ſit prædita organis, per quæ, ut corpus conſervetur, materia noxia & œconomiæ animali inimica eliminari atque excludi vario modo poſſit, quæ omnia ita ſunt comparata, & materiæ peccanti adæquata, ut facillimo illi tranſitum concedant negotio: ita, quæ per cutis poros excernitur, tenuis eſt & fluida, craſſior quæ per urinam, magis vero conſiſtens illa, quæ per inteſtinorum tractum ejicitur: cum vero nulla ejusmodi excretio ſine motu humorum ſpeciali & congeſtione ad certam partem fieri queat, ita idem contingit in præſenti, de quo agitur, affectu, hic enim materia peccans latet in inteſtinorum tractu, hinc motus verſus illa requiritur, a peripheria nempe ad interiores partes: oriuntur

tur

tur inde ſymptomata, refrigeratio nempe partium externarum, & habitus corporis conſtrictio, nec non ſalivalis laticis in ore defectus, quæ omnia de humorum ad interiora regreſſu, & humoris ſeroſi in internis partibus ſecretione teſtes conſtituunt. Graviora vero ſymptomata hunc ſæpius affectum preſſo ſequuntur pede, vel ex nimia ſeri acrimonia, vel ex bilis admixtione accidentali, vel ex ipſa materiæ peccantis conſiſtentia, ſi nempe immobilis adhuc inteſtinorum parietibus tenaciter adhæret, hinc doloribus ſæpius inteſtina afficiuntur, ut illa materia ſub vehementiori motu protrudatur & ejiciatur: vel ex cauſis accedentibus, occaſionalibus, quæ ſymptomata majora accelerant, ut ſunt refrigerationes partium externarum, errores in diæta commiſſi, quæ omnia affectum graviorem reddunt, dolores inteſtinorum ſpaſticos & tractorios, qui dolorum colicorum & torminum nomen merentur, producunt. Nauſea, conatus vomendi & ipſe vomitus materiæ illius viſcidæ ac mucidæ, ut ſymptomata hujus affectus conſiderantur; ſi nempe motus congeſtorii non inteſtinorum ſolum, ſed ventriculi ſimul occupant regionem, hicque in conſenſum trahitur, inprimis ſi materia utriſque fuit moleſta. Et cum hæc excretio quandoque ordinem naturalem non tantum ſuperet, ſed & ultra neceſſitatem abſolutam fiat, qua non inutiles ſolum, ſed ex parte utiles ſimul excernuntur partes, quibus accedit, quod ſanguinis portio in ſerum tenue reſolvatur, nec non ſalivalis laticis multum perdatur, hinc appetitus proſtratio ſupervenit, & virium defatigatio ac laſſitudo ſolennis ſæpiſſime eſſe ſolet.

VII.

Subjectum diarrhœæ ſeroſæ eſt vel generale vel ſpeciale. De utroque agam ordine, & quidem primo de generali,

rali, dein de ſpeciali. Ad primum quod attinet, nullum certum atque determinatum exiſtit, id enim tota die videmus, omnes, cujuſcunque ætatis, ſexus & temperamenti ſint, huic affectui eſſe obnoxios: id interim tenendum, unum præ altero magis conſtituere ſubjectum. Sic ætatem quod attinet, infantes præ adultis ſæpius hunc affectum patiuntur, fœmellæ præ viris, & corpora humidiora, præ ſiccioribus; cujus rei fundamentum in cauſæ materialis abundantia & corporis diſpoſitione eſt poſitum. Ad alterum, ſubjectum ſpeciale nimirum referendus eſt inteſtinorum canalis, hic afficitur præ aliis. Patiuntur vero inteſtina duplici modo, quatenus nempe viam conſtituunt excretionis, & inſtrumentum, nullus enim alius ſupereſt locus, per quem hæc materia peccans commodius exitum invenire poteſt: deinde vero ratione ipſæ ſtructuræ & ſubſtantiæ: Sicuti enim ex quatuor compoſita ſunt & conſtructa tunicis, quarum una vocatur nervea, ita, dum hæc vellicatur, & muſculoſa in conſenſum trahitur, dolores oriuntur ſupra vocati ſpaſtici & tractorii, qui tormina ſæpius producunt graviſſima: porro alio modo patiuntur inteſtina & quidem ex relaxatione toni, relaxatur enim ille a nimia ſeroſæ colluviei congeſtione huc facta, quæ flatulentam cauſatur expanſionem, alia atque diverſa ſymptomata poſt ſe trahentem. Glandulæ quoque inteſtinales ſubjecti ſpecialis nomine hic accuſantur, quæ equidem ita ſtricte pro ſubjecto totius morbi haberi nequeunt, ſed tantum, quatenus organa conſtituunt majoris & copioſæ affluxionis materiæ ſeroſo-lymphalis: motus enim ab exterioribus partibus, ſi vergit ad interiores, tunc major, ac par eſt, ſecernitur humoris copia in hiſce glandulis, ad propellendam tenacem illam materiam inteſtinis adhærentem: hinc ſeri copia.

IIX.

Cauſarum non minus eſt adjicienda mentio, quarum una eſt materialis proxima, aliæ vero ſunt remotiores & occaſionales. Prima, nempe materialis proxima nulla eſt, niſi ſerum mucidum ad cloacas corporis noſtri copioſe affluens, hoc enim eſt ille humor, qui huc compellitur ad abigendam & eliminandam materiam aliquam corpori inimicam, præcipue viſcidiorem, jam in primis viis hærentem, ſub humorum reſtrictione ad partes interiores, unde refrigerationes partium externarum, horripilationes quaſi febriles, aliaque incommoda plura. Hanc vero materiam eſſe ſeroſo-mucidam, teſtatur ipſa αὐτοψία. Cauſas remotiores, quæ variæ ſunt, conſtituunt ingeſta, eaque inutilia, peregrina & noxia, quo ſpectant omnia illa, quæ ex mucida aliqua ſubſtantia utplurimum ſunt compoſita, cujus generis ſunt piſces, cancri, conchæ, & hujus generis ſimilia: hæc enim eſculenta, ſi ſæpius ingeruntur, muci haud paucam relinquunt copiam, qui poſthac paulatim inteſtinis ſeſe adhærens, hocce alvi profluvium provocat; quem effectum ex liquidis quoque exſerunt lacticinia in quantitate magna & ſæpius repetita, hauſta. Ad occaſionales cauſas pertinent ex cibis tales, qui ſucco crudiore, frigido & fermentativo ſcatent, ut ſunt inprimis fructus horæi, poma, pruna, aliaque hujus texturæ plura: ex potibus vero fæculenti vel nimis recentes, & nondum defæcati, vel ſub evacuationis vaſorum finem fæcibus denuo permixti: nec non potus frigidi, poſt corporis exæſtuationem in ſumma copia hauſti vel cerevifiarii vel aquoſi, aquoſitate ſua inteſtinorum & glandularum tonum reſolventes. Præter has cauſas occaſionales ad illarum claſſem referri merentur tam corporis to-

 tius,

tius, quam in ſpecie pedum & abdominis refrigerationes, quo fit, ut tranſpiratio neceſſaria impediatur, & per corporis externi reſtrictionem eo major ſeri copia ad inteſtina retropellatur.

IX.

Conſideratis itaque cauſis diarrhœæ ſeroſæ, priusquam ad ipſam medendi methodum me accingam, id quod ad prognoſin ſpectat, enucleabo pro viribus. Antecedentia vero jam docent quid de prognoſi ſit habendum, nil fontici minatur, nilque funeſti, niſi alia ſuperveniant, quæ hunc affectum periculoſum reddunt, ſymptomata. Eſt potius ſalutare naturæ beneficium, & finis bonus, quem intendit, dum motibus vergit ad illam partem, cui peccans aliqua materia eſt moleſta, ad ejiciendam illam, & conſervandum corpus ab illis, quæ noxas illi inferre poſſunt: ſi vero terminos tranſcendit legitimos, illique majora tormina & quidem citra occaſionales cauſas junguntur, tunc magis de ſeri ſpeciali teſtatur diſcraſia ſalſa, majorisque momenti exiſtit: ſimplex quoque ſi adeſt, & nimis diu durat, & in nimiam excretionem degenerat, haud parvi hic affectus eſt faciendus, omne enim nimium vertitur in vitium, virium conſumtionem minatur majorem ob excretionem humorum, non inutilium ſolum, ſed & laudabilium: obex inde illi ponendus, & minuendus affectus, ne penitus in diarrhœam abeat colliquativam. Caueat vero ſibi medicus praxin exercens, ne intempeſtive huic affectui reſiſtat, dantur enim diarrhœæ ſtatis temporibus recurrentes, a natura inſtitutæ, quibus non pejus conſulitur, quam ipſa ſuppreſſione illius fluxus: hinc ille tamdiu eſt tolerandus, donec notabilem ſentiat virium proſtra-

ſtrationem æger, quæ vero raro ejusmodi diarrhœis ſupervenit.

X.

Ad medendi methodum nunc tranſeundum. Fundatur illa tribus indicationibus, quas ordine ſeorſim pertractabo. Earum prima conſiſtit in materiæ peccantis eductione, hac remota ceſſat affectus, ab hac incipiendum, qui vult mederi rationaliter, non fluxus prius cohibendus, nec robur partibus inducendum & reſtituendum, niſi velis, ut recurrat malum. Omnis vero diarrhœa ſimplex non eſt cohibenda, non ſiſtenda, hinc generaliter conſiderare debet medicus progreſſum hujuſcemodi evacuationis, cauſamque mali: an excedat modum, an vero procedat placide: ſin prius, ſiſtendus fluxus, ſed rationaliter & ordine, ſin poſterius, abſtrahendum a medicamentis. Si itaque, æger hoc alvi fluxu correptus non conqueritur de virium dejectione, de torminibus, vel colicis doloribus, de appetitus proſtratione, nec de aliis ſymptomatibus gravioribus, quid opus, ut ſiſtatur fluxus, bonum eſt, ſi natura ſibi ipſi ſponte medetur, illudque removet, quod corpori infert noxas. E contra vero, quamprimum huic fluxui prædicta ſuperveniunt ſymptomata, res eſt altioris indaginis, quæ aliquod periculum minatur, tunc tempus admovendi manus auxiliatrices, nunc naturæ ſuccurrendum in motibus ſuis, ſi excedit, illique placide promovendi, & per cauſæ ſublationem natura ad ordinariam iterum viam deducenda. Videndum vero an forſan ſufficiant vires naturæ ad abſolvendum opus, ſin hoc, ſoli illi relinquendum negotium, & obſervandum, ne forſan peccet in exceſſu.

§. XI.

Medicus itaque, qui rationalis haberi vult & videri, & ad reſiſtendum huic adfectui imploratur, reſpiciat primo ipſam materiam peccantem: hæc removenda, hæc educenda, ſi vult priſtinam reſtituere ſanitatem ægro, & hæc eſt indicatio prima, quæ fit & abſolvitur, quando materia peccans inteſtinorum parietibus adhærens abſtergitur: hæc vero abſterſio fit commode per digeſtiva & laxantia, non fortiora purgantia, quippe quæ tonum debilitant, ſed leniora balſamica. Varia & innumera inde ad hunc ſcopum obtinendum commendantur in variis practicorum libris, ſed quid opus, ut multa illorum hic recenſeantur, ſufficiunt pauca, eaque probata. Quorum haud infimæ notæ eſt Rhabarbarum, ad ſcrup. 2. vel drachm. dim. vel in pulveris, vel melius decocti forma adplicandum, cui folia ſennæ ſine ſtipitibus parca portione admiſceri poſſunt. Nec Mannæ uſus hic eſt rejiciendus, cum illa abſterſionis loco ſeſe commendet. Hiſce omnibus vero aliisque palmam præripiunt pilulæ balſamicæ, ad normam Ill. Stahlii & Becheri paratæ, nec non Polychreſtæ ita dictæ, quas ſervat Præſes Exc. quarum No. XV. aut XX. pro doſi quotidie per tres quatuorve dies continuando, capiat æger. Hæcce vero in ſua forma propinatæ, cum longius requirant temporis ſpatium, antequam debitum præſtent effectum, ad quod accedit, quod multi dentur ægrotorum, pilularum qui abhorrent deglutitionem, inde ſolvendæ, illisque affundendæ Aqu. Chæref. ſeu Menth. drachm. 2. aut Unc. dim. quæ mixtura toties eodemque modo, quo pilulæ in ſua forma propinari poteſt, & tali modo materiæ excretioni conſulitur: imo haud raro contingit, ut ſolo unico aut repetito uſu tota abſolvatur cura.

§. XII.

XII.

Verum enim vero, cum omnis excernenda materia prius debeat eſſe mobilis & ad removendum apta, ita id ſæpius contingere ſolet in hoc affectu: tanta enim haud raro gaudet tenacitate hæc materia, ut haud ita facile nutui medici obtemperet: in tali caſu neceſſe eſt, ut prius reddatur mobilis & ad excernendum præparetur, quæ præparatio fit per incidentia vel e regno minerali vel vegetabili depromta: ad primam claſſem pertinent incidentia ſalina, digeſtiva, Tartarus vitriol. Arc. dupl. & hujus farinæ alia, quarum commode una pars cum anatica portione pilularum ſupra laudatarum miſceri, & pulveretenus ſcrup. un. vel drachm. dim. pro una doſi aſſumi poteſt: ad alteram claſſem ſpectant Herbæ & Radices incidentes & reſolventes, rad. Enul. Caryoph. Pimpin. A. Herb. Marrhub. alb. Cuſcut. Ceterach. Scolopend. quibus laxantes ſimul admiſceri poſſunt, præprimis Rhabarb. Ver. Rad. Polypod. & leniora carminativa: Cort. Citr. & Aurant. Sem. Anis. Ex his omnibus ſi nodulus conficitur, eique vini debita portio affunditur duplex ſcopus obtinetur, reſolutorius & ſimul abſterſorius: capiat vero de tali nodulo hauſtum unum vel alterum de die æger. Quod ſi vero ſeorſim lubeat adplicare incidentia & abſtergentia, tunc ab illis incipiendum, dein vero, materia ſufficienter præparata ad hæc, abſtergentia nempe, mens dirigenda. Nec obſtat, ſi quis objiceret (quod vulgo fieri ſolet) in tali ſtatu, ubi jam frequens adeſt alvi dejectio, non adhibenda eſſe remedia laxantia, propter maiorem virium debilitatem metuendam: ſed reſpondeo, non remota cauſa, non ceſſare effectum. Et hæc ſunt, quæ notanda fuere ſub prima indicatione.

XIII.

XIII.

Miſſa hac ad ſecundam propero indicationem, quæ requirit motuum & fluxus cohibitionem: hæc non ſemper neceſſaria eſt, ſed adhibita & abſoluta rationaliter prima indicatione, alvi frequens depoſitio ſponte ceſſat. Si vero aliquando contingit, ut remota licet cauſa materiali, & adhibitis ſupra laudatis remediis, affectus non ceſſare velit, ad ſubadſtringentia eſt refugiendum; horum vero unicum tantum brevitatis cauſa commendare lubet, præ aliis tutiſſimum & certiſſimum, nempe Corticem Caſcarillæ, vel in pulveris, ad gr. IIX. X. XV. vel in extracti forma paratum; cujus extracti pulveriſati gr. j. vel 2. uni doſi pulveris abſorbentis & ſubadſtringentis admiſceri, & ægro propinari poſſunt, quo facto alvi fluxus paulatim decreſcit, & excrementa naturalem induunt faciem. Interim notandum, hanc indicationem non in omni individuo abſolute neceſſariam eſſe, ſæpiſſime enim accidit, ut abſtergente balſamico ſemel aut bis intra nycthimerum, tota diarrhœa ceſſet, qui caſus ſane neceſſitatem hujus indicationis tunc excludit.

XIV.

Sed reſtat, ut ad tertiam intendam animum indicationem, quæ audit partium affectarum roborat io. Roborandæ partes, reſtituendus tonus amiſſus. Fit vero hæc per remedia tonica nervina, roborantia, vel externe, vel interne adplicata. Ad interna ſpectant præprimis illa, quæ ſub aromaticorum titulo ſunt nota; nec non oleoſa, volatilia, reſinoſa, amara, tonica & nervina ex Abſynth. Croco. Nuciſt. Myrrh. aliisque, quo nomine in officinis notæ ſunt Eſſent. Abſynth. vel ſimpl. vel cum aromatibus. Elix. P. P. cum Rhab. præſertim cum vino Malvatico pa-

ra-

ratum: ita non minus notum illud Sal. volat. oleos. Sylv. Eſſ. Cinam. Pimpin. & Coſti dulc. haud ſunt ſpernenda, primatum horum omnium vero tenet roborandi ſcopo, Elix. Polychreſt. Dn. Præſ. ad gr. XV. ad XXX. ter vel quater de die ſumendum. Hæc aromatica ita vel in Eſſentiæ formam redacta, vel pulveretenus ſub titulo Trageæ aromaticæ mixta cultri cuſpide ſub vel ante paſtum ſumi commode queunt. Nec martialium uſus hic plane eſt contemnendus, præprimis Crocus Martis antimoniatus Stahlii, ſi ad aliquot grana cum ſupra laudato pulvere cort. Chaccar. vel ejus extracti mixtus propinatur: aut Tinct. martis ſolar. præcipue in illis ubi ſpecialis atonia præſto eſt, & forſan lienteriæ ſigna ſe prodant. Ad externa remedia, quæ internis jungi ſummo cum fructu queunt, pertinent Emplaſtra, de baccis Lauri, ſtomach. Crat. aliaque, ex reſinoſis gummatibus & aromatibus parata: vel oleum ſtomachicum, aliaque, ſtomachum roborantia, & inteſtinis robur inducentia, ventriculi regioni adplicanda: item ſacculi ex herbis tonicis Menth. Abrot. Thym. Meliſſ. Fl. Roſar. aliisque parati, vel ſicca in forma applicati, vel vino calido madefacti, Præprimis autem calida abdominis fomentatio, quæ fit linteis, lectulis, aut tegulis calidis, nec non quieta continentia, Fotusque pedum calidus hic plurimum proſunt.

XV.

Hiſce remediis legitime ac ordine adhibitis, affectus hic idiopathicus & ſimplex facile tranſit, ſi nulla præterea huic ſuperveniunt ſymptomata. Si vero ut ſymptoma cardinali alicui morbo jungitur hæc diarrhœa, tunc non ad illam, ut ſymptoma, ſed ad cardinalem morbum eſt

reſpiciendum, ejusque cura ita adornanda, ne cardinali morbo inde damnum accedat. Paucis vero adhuc conſiderationi meæ ſubjiciam ſymptomata, quæ huic adfectui idiopathico ſe jungere aliquando ſolent: ita ſæpius illi accedit vomitus, cui ſuccurritur iisdem remediis externis, §. 14. allegatis & commendatis, totum enim negotium fundatur in calida ventriculi regionis fomentatione, quem in finem ſacculi, olea, balſama, emplaſtra, & Cataplaſmata, pro lubitu ex ingredientibus tonicis & ſic dictis ſtomachicis aromaticis confici & adplicari queunt. Sacculi ita ſunt conficiendi ex H. Menth. Meliſſ. Abſynth. Anthos Puleg. Ruth. Rad. Calam. Galang. Zedoar. Zingib. Imperat. Fl. Lavend. ſpic. noſt. vel indic. Roſar. rub. aliisque, quæ conciſa & contuſa vel vino decoqui vel ſpiritu vini fortiori irrorati regioni ventriculi calide imponantur. Ex oleis vero optimum effectum præbent olea cocta Abſynth. Menth. Maſtich. ſtomach. Crat. quæ pro lubitu oleis deſtillatis aromaticis Menth. Cinam. Ruth. exaltari, & calide inungi poterunt.

XVI.

Ex iisdem oleis deſtillatis aliisque pluribus aromaticis confici poteſt Balſamum, cui uſus illius arridet, vel illi ſubſtitui poteſt illud, quod in officinis ſervatur balſamum ſtomachale Oheimii, ex iisdem oleis paratum. Inter emplaſtra vero nota ſunt Empl. Stomach. Crat. de Cruſt. Pan. de Tacamah. e quibus cum Ol. Maſtich. mixtis extendatur emplaſtrum ſupra alutam in forma cordis ſeu ſcuti, cui ſi conditio ægri id permittat, addi poteſt balſamus indicus, Gallia moſchata, & irroretur oleis ſupra commendatis deſtillatis aromaticis. Cataplasmata ex

iis-

iisdem ſpeciebus, quas ſub ſacculorum præſcriptione commendavi, parari poſſunt, eo diſcrimine, ut loco conciſionis pulveriſentur, & cum fermento piſtorio ac Spiritu vini fortiori in maſſam redigantur, ſupra linteum extendendam, & calide adplicandam. Ditioris ſortis perſonis ſicut pretioſa quandoque placent, ita illis hic ſatisfacere poteſt medicus, præſcribendo ſequens cataplaſma: Choccolad. opt. Unc. un. & dim. Conf. Alkerm. Opt. drachm. 3. Ol. N. M. expr. drach. 2. Balſ. ind. drach. un. & dim. Ol. deſt. Cinam. O. gt. 12. M. f. c. ſ. q. Vini Malvat. aut Canarienſ. Cataplaſma linteo applicandum. Tenuioris vero ſortis hominibus idem præſtabit, ſi chartam quadruplicatam emporeticam pulvere Piperis & Zinziberis conſpergunt, ac fortiori ſpiritu vini imbibitam ventriculo applicent, & exſiccatam denuo humectent.

XVII.

Colicis doloribus ſubvenitur optime per clyſteres lenientes & carminativos, exulent vero ſtimulantes. Parantur ejusmodi enemata ex Flor. Chamom. Sambuc. Sem. Anis. Carvi, cui addi poteſt ex oleis coctis, Oleum Chamom. Aneth. Lilior alb. quo adplicato flatus inteſtinis moleſti reſolvuntur, & dolores colici ceſſant: cui ſupra dicta & commendata inunctio oleis calida ſimul jungi poteſt. Præprimis vero commendo quietam corporis continentiam, inprimis calidam, quæ optimum præ omnibus medicamentis præſtat auxilium. Virium dejectio vero vel præcavetur ſub ipſo affectu, vel poſt illum abigitur, & vires amiſſæ reſtituuntur: prius fit, quando ſub ipſa cura refocillationem & analepſin inſtituimus, tam per diætam reſtaurantem & nutrientem, ægro cibos ta-

les nutrientes & concoctu faciliores ſubminiſtrando, ex juſculis hordeaceis, carnium vitulinæ, gallinaceæ, quam per medicamenta analeptica, cui ſcopo inſerviunt potiones ex Aquis analepticis Cinam. c. vel S. Vino, Meliſſ. Til. Borrag. Chærefol. cum debitis abſorbentibus paratæ & Syr. Cinam. Rub. Id. vel Cydon. edulcoratæ: vel Emulſiones amygdalatæ, pineolatæ, cum iisdem aquis concinnatæ & edulcoratæ, de quibus præmiſſa prius abſterſione cochleatim capiat æger.

XVIII.

Poſterius, nempe virium amiſſarum reſtauratio poſt ſuperatum affectum obtinetur magis e fonte diætetico quam pharmaceutico. Sunt quidem in officinis haud pauca, hunc in finem uſurpanda, ut ſunt analeptica, aromatica, ambrata & moſchata, multis vero iſta non arrident, nec ſufficiunt ad reſtaurationem humorum nutrientium neceſſariorum, a quorum recuperatione tamen virium reſtitutio dependet: qua propter meliorem effectum præbent illa, quæ in culinis parantur, remedia, cibi nempe nutrientes, potusque reficientes, juſcula reſtaurantia, quas vulgo vocant Krafft-Brühen, carnes pullorum, caponum, nec non in adultis bubulæ juniores & teneriores, Choccolada præſertim in ſenibus & phlegmaticis junioribus vino parata. Nec vinum ipſum diſſuadeo, præprimis generoſum, ut ſunt, Rhenanum, Moſellanum, Hungaricum, & Franconicum non recens, ſed adultum, non adulterata ſed genuina, ne acore affectum revocent: & tali modo reſtituuntur vires amiſſæ. Præcavemus nos vero a recurſu hujus affectus, ſi vitamus cibos & potus acidos, fermenteſcibiles, & ſi utimur

bona

bona diæta ſupra præſcripta, imprimis vero ſi ſæpius ventriculum & inteſtina leniore laxante & abſtergente expurgamus, & muci ad inteſtina adhæſioni locum non concedimus, nec non vitando cauſas occaſionales ſupra recenſitas.

XIX.

Coronidis loco omnes moneo medicos & quidem juniores, ut bene diſtinguant diarrhœam hanc ſimplicem a critica quaſi dicenda, qua natura ſæpius utitur ad expurgandum corpus ſtatis temporibus, hæ enim adſtringentia non tolerant, nec illis applicatis obtemperant; his vero præſentibus naturæ ſuccurrendum ſupra commendatis pilulis balſamicis, ipſeque fluxus promovendus. Si enim adſtringentibus tractantur, aut penitus per opiata & adſtringentia ſiſtuntur, certiſſime & brevi revertuntur, & graviora mala poſt ſe trahunt. Pertinent ad hanc claſſem non modo illæ, quæ annuis temporibus in quibusdam ſtatas ſervant periodos, & quibus natura quaſi laxatione per epicraſin utitur, ſed illæ quoque, quæ multis ſenſibilioribus familiares exiſtere ſolent, quando poſt cibos concoctu difficiliores aſſumtos, aut aliam leviſſimam cauſam oblatam, commotiones animi quoque, mox & facile evacuationes catothericas experiuntur, & ſublevatos inde ſe ſentiunt. Præprimis vero huc pertinent illæ diarrhœæ, quæ Hæmorrhoidariis leviſſima ex cauſa ſupervenire ſolent, hæ merentur attentionem, ne turbentur adſtringentibus, totumque hæmorrhoidale negotium patiatur damnum.

FINIS.

CUm ſint diarrhœæ mala magna ſeroſæ
Ponenda eſt morbo tunc medicina ſtatim,
Hoc dum demonſtras ſub *Veſtro* Præſide claro,
Frater, cui debes Dogmata multu Tua:
Gratulor atque ſimul ſemper Tibi proſpera quævis
Apprecor hoc voto: ſint Tua cœpta bona.

Joh. Chriſtoph **Münnich**,
J. V. C.

MEruit is dulcia nunquam
Bene qui haud guſtavit amara,
Dabiturque nec ulla corona
Niſi certanti bene longe.
Bone Frater, teſtis adesne?
Et flebilis introitus fit,
Et mœſtior ambitus artis.
Jam mœſta quieſce querela,
Lacrimæ ſuſpendite fluxus,
Sequitur nunc blanda corona.
Gere tandem dum demis Halæ
Et fruere lætitiis tunc,
Tibi, ſi fauſtasque medelas
Ægrotis dat fore JOVA.
Quod opto ex pectore toto

Συγχαίρων, breviter ac ſincere hiſce gratulatus eſt

J. W. Münnich,
Eccleſiaſt. ad ad. Caſt. Calb.

Eſt via virtutis quærenda per aſpera ad aſtra;
Nam cui per ventos aſſa columba venit?
Sæpe tegit dudum multos obſcurior aura,
Virtutis montes donec adire queant.
Aſpera, *Mi Frater* patiens quoque multa tuliſti,
Quorum ne quaquam non memor eſſe potes:
At nunc doctorum cœli pertingis ad aſtra
Fronte galera, manu lucida gemma micat.
Gratulor hinc Tibi, majori ſplendore niteſcas,
Ac, proſit multis mox medicina, precor.

Fratri doctorando hæc addidit

Johann Samuel Münnich,

Schol. Calb. Con-Rect.

UT abdit terra ſemina ſic, *Frater*, hactenus diu
Quæ mox in altum pullulant: Ad alta lætus pergito.

Hæc expreſſit gaudio ſociali Frater

J. A. Münnich,

Med. Cand.

DA Tellus ihren Schooß mit neuen Früchten füllet:
So wird zugleich Dein Haupt in Purpur eingehüllet.
Ich wünſche, daß Du auch mein **Bruder** Früchte bringſt
Und alles Ungemach durch Deine Cur verdringſt.

Johann Gottfried Münnich,

Philol. Stud.

MAn pfleget meiſtentheils den München Schuld zu geben
Daß ſie in Müßiggang hinbrächten ihre Zeit.
Du machſt es nicht alſo, Herr Bruder, denn Dein Leben
Iſt da wo Bücher ſind, dadurch wirſt Du erfreut.
Drum ehrt Dich Halle itzt, und mit ihn jederman
Ich wünſche Dir viel Glück und nehme Theil daran.

Johann Emanuel Münnich,
Philol. Stud.

MIt Recht iſt dieſe Welt ein Krancken-Hauß zunennen,
Weil man in ſelbiger trifft viele Krancken an;
Wiewohl es hält ſehr ſchwer die Mängel zuerkennen,
Was dem und jenem fehlt, eh man ſie heilen kan.
Weil nun mein Werther Freundt die Kunſt wohl eingeſehen,
Indem Sein ſteter Fleiß darauf ſich bloß gelegt,
Wie Er mit jeder Art der Kranckheit ſoll umgehen
Deßwegen Er mit Recht der Würden Purpur trägt.

Mit dieſen wenigen wolte ſich dem Herrn Licentiato gehorſamſt empfehlen

Steph. Siegfr. Vogel,
Med. Stud. Dahlenwarsl. Magdeb.